Piis manibus
Juvenis Præstantissimi
& Eximiæ Spei

JACOBI GEELHAR

Bonarum artium Cultoris in Gymnasio Thorunensi,
olim diligentissimi,
jam desideratissimi Commilitonis,
Anno MDCCXIX. die XVII. Mensis Julii,
Solenni ritu tumulo illatis,
Hoc qualecunque
piæ mentis & amicitiæ
Monumentum
posuerunt
Gymnasii Thorunensis Cives.



T H O R U N I I
Impressit Ioan. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus.

O *Fatum inopinatum!*
omnium contra opinionem
falce mortis cæsus cadit,
quem diutius adhuc vivere potuisse opinabamur;
dum crescit, decrescit,
in ipso ætatis flore deflorescit
Florentissimus Adolescens,
IACOBVS GEELHAR,
ætate nondum gravis
gravi conflictatus morbo,
ita tamen,
ut ipsam morbi gravitatem
magno animi robore perferret.
Lætus spe vitæ futuræ,
hujus vitæ lætitiam sprevit,
æternam pro temporali,
felicissimo eventu est sortitus.
Neque hoc mirum,
dum enim valuit animo,
eo ablegavit animi cogitationes,
ubi semper manere cogitavit.
Hinc
eam felicitatem
bene cognitam,
bene multo optatam,
obtinuit, impetravit,
Cœlum intravit
communi ianua mortis.
Studiosus hic fuit assiduus,
dissedisset a se ipso,
nisi libris assedisset,
& omni studio studiis vacasset,
studiose enim diligenterque
summnm bonum quæsivit,
jam
cum quærere desiit,
illud acquisivit.
Mortis acerbitatem sprevit,
jam vicit:
Qui
cum adhuc in vivis esset,
sibi, carni & mundo quotidie mortuus est,
jam caro moritur,

Cum

Cum ergo morte decessit,
mori amplius desiit:
Contra pravas voluptates,
voluptatumque pravitates
acriter propugnavit,
jam fortiter eas oppugnavit,
ut,
cum jam victus videtur,
magis victor gloriosissimus audiat,
cum decrevit,
crescere magis cœpit.
Flos enim decidat oportet,
ut fructns crescere & maturescere possit;
Ita hic florem amisit,
ut fructu in cœlis frueretur.
Nisi arbusculi transplantantur,
bonos fructus proferre non possunt,
Hinc noster
ex terra, tanquam sylva inculta
in paradisum, cœleste domicilium est transplantatus;
ramos incultos [i. e. carnis pravitatem] amisit,
& animam multis virtutum foliis egregiam transmisit,
Juvenis hic Politissimus,
in ipsa juventute
elegantibus ætatis moribus politus & ornatus;
Diceres nimis mature decessisse?
fallis, falleris,
annis quidem juvenis,
Virtute vero senex fuit.
Non enim is tantum senex est dicendus,
qui multos vixit annos,
sed qui ingenio valet,
ac Senibus dignam prudentiam
virtutesque similes ostendit.
Hinc
a tenera juventute
statim ad summam ætatem transiit,
viam ad vitam invenit,
inventam petiit,
ad cœlites translatus.
Commilito hic noster desideratissimus
optimis semper studiis invigilare optavit
vel primis labris degustando imbibit,

Inchoan-

Inchoando jam finiit, abſolvit,
morte ſolutus.
Magis futuræ quam præſenti vitæ ſtudiit,
bene mori didicit,
felici exemplo.
Præoccupavit Academiam,
omni ſapientia illuſtrem,
optimam & felicisſimam.
ubi
non in ænigmate mens fallitur,
aut in obſcurum ducitur gyrum,
ſed ſine ſatietate
verus ſapientiæ fons aperitur.
Quin imo
ex turbido pelago in portum,
ex barbarie in Patriam,
ex moleſtiarum mole in lætitiam infinitam,
velociter pervenit.
Angelorum commilito eſt factus,
non amplius contra mundum
mundique pravitatem militaturus,
ſed jam jam ipſi,
tanquam ſtrenuo militanti,
victoriæ præmia conſecuto,
læta corona data eſt.
Felix ergo qui eum ſequi ſapienter,
qui eius veſtigia inſequi prudenter,
qui eius felicitatem conſequi poteſt fortiter.

